

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 97. (Neovidensis 1808. Nro. 96.)

## *Politica Mortuorum Colloquia.*

Elysium-Meum.- DieMartis 13. Dec. 1808. (Neov. 1. Dec. 1808)

Me sinite, atque auferite metus ego foedera  
faxo Firma manu.

*Aenid. l. 12. v. 310.*

### *Colloquentes Umbrae:*

*Ludov. Bav. Imp. Carolus Theod. Elector.*

*Theod.* **E**x aliquot jam diebus boni nostri me  
interpellant Bavari; ut eos Vestrae Majestati,  
majori nostro, producerem.

*Lud.* Absit omnis luxus aulicus, care co-  
gnate! quovis tempore gratum jucundumque  
mihî accidit, caros videre populares.

*Theod.* Credo rem momentosam proferen-  
dam habent.

*Lud.* Fortassis aliquid a rege suo? sem-  
per exulto animo, quoties mentem subit, Ba-  
variam regnum esse.

*Theod.* Non procul isthinc consistunt, nu-  
tu tantum ad comparandum opus est..

*Lud.* Præsto sum.

*Theod.* En adsunt — (ingreditur turba Ba-  
varorum manium, unus sequenti utitur ora-  
tione: „Memoria Majestatis Vestrae hodie in

patria nostra renovatur, & perpetua redditur. In vico, qui Monachio ad Fürstenfeldpontum Augustam Vindelicorum septem ab metropole horum distantia ducit pone pagum Puch, jussu Regiæ Majestatis sub directione Regii Architecturæ provincialis Directoris a Blanc excelso Majori suo Imperatori Rom. Ludovico Bavaro monumentum juxta locum erigitur, quo die 11. Oct. 1347. in ulais coloni occasione ventus animam egerat. Constat id obelisco 40 pedes alto ex cæruleo marmore Ettalino, cum adcommodis Inscriptionibus idioma germanico & latino, ex utraque parte principalis lapidis; atque magnitudine & firmitate multo tempore durabit:

In parte antica præcipui lapidis hæc Epigraphæ legitur:

Piis Manibus Divi  
**LUDOVICI BAVARI**  
 Romanorum Imperatoris  
 Libertatis Germanicæ Defensoris  
 Legum Boicarum Conditoris  
 Viri fortis & Constantis  
 Posuit  
**MAXIMILIANUS**  
 Rex Bojariæ  
 MDCCCVIII.

In postica germanico idioma scriptum legitur: Hoc loco obiit in ulais Coloni morte obitus die 11. Octob. 1347 Ludovicus Bav. Imp. Rom.

*Lud.* O carij Bavari! o fideles, sinceri, candoris pleni subditi! Gratias ago vobis pro hoc nuncio, atque solatio & animi tranquillitate, quam in hoc argumento percipitis. Prope diem vos invisam mea fata resque gestas narraturus. Tenete in memoria monumentum isthoc — hisce in oris omnes æquales sumus, frequentius mutuo sermone nos oblectabimus. (discedunt)

*Theod.* Bonæ animæ! & trans stygem.

*Lud.* Care Cognate! Noſter hodiernus Maximilianus procul processit. Vestra dilectio vetusta sorte contentus vixit, amabat pacem.

*Theod.* Meo regiminis tempore alia erant adjuncta, non poteram aliter, adjunctorum ratio adversabatur.

*Lud.* Ut hoc?

*Theod.* Nullus principum ditiones tam diversas per regiones & vasta terrarum spatia dispersas ac ego habui, hoc pacto maximorum Europæ Statuum vicinus factus sum: Galliæ, Austriæ, Borussiæ, jam quocum vel adversus quem mihi agendum fuisset? profecto quæstio ardua & problema difficile! Iis bello mutuo implicitis, si uni adhæsi parti, alterius adversarius evasi & ab una alteraque parte semper adgressioni patui, nihil igitur melius facitare poteram, quam in similibus casibus, quibus Imperiales obligationes non obtinere, quietus persistere & neutri parti me addicere. Hæc politica familiaris esse mihi debuit; & hac ratione quietus intactusque relictus sum; Gallica revolutio in extremos vitæ meæ dies incidit,

bella continuata & decisio mortem primum meam secuta. Hic quidem erat temporis articulus omnem Politicam intendendi, & vere Maximilianus noster egregie ea usus est, primum per compensationem ditones suas ad unum locum concentravit, tum plures adiecit hodieque concentratum regnum 3 prope milliones Incolarum censens redditumque ferme Germaniæ feracissimas provincias tenet. Ad hæc in administratione & inter diversos Status intuitu præstationum æqualitatem, & politicam Regni sui divisionem in Districtus ordinavit, quæ nequaquam Gallicæ Constitutionis exemplar dici potest, quæque respectu locorum & nationis adjunctorum Individuo & universo adcommoda est.

*Lud.* Plane adstipulor dilectioni vestræ intuitu veteris, at hodierna mutatio Contentioque me adfecit.

*Theod.* Accessus quoque Imperialium olim Urbium provinciæ nostræ notabile incrementum commercii, & industriæ attulit, Augusta, Norinberga, Ulma, Memminga, Nordlinga, aliæque, commercium & industriam principem sibi scepum delegere. Bavaria regio agris referta, in hoc argumento iis succurrere non potuit. Jam totum simul efficiunt, mutuam operam sibi præstant, & feraci adeo solo contentæ promovent commune bonum.

*Lud.* Gratias Dilectioni Vestræ pro grata narratione.

*Theod.* Ubi felix Bavarus erectum Dilectioni Vestræ monumentum præterierit, qui-

escet, oculos attollet, vociferans: hoc loco nobilissimus cecidit Bavarorum Ludovicus Imp. morte obrutus! quanta recordatio!

*Lud.* Verum quid pax Universalis? hanc omnes ad has adpellentes umbræ anhelant! Nondum Anglia in eam propensa videtur, si vero Hispania, & Portugallia recuperata fuerit, Anglia flexibilior reddetur. Peracto proelio Burgensi die 8. officiosum Diarium seqv. dat situs Copiarum Gallicarum descriptionem:

Mareschallus Dux Bellun. (Victor) alacriter reliquias exercitus Gallæciani persequitur, quæ per Villam Cayo & Neynosam, puncta adversus quæ Dux Dalmatiæ progreditur, receptum canit. Non aliud salutis erit medium, quam rem tormentariam, comeatum, & omnia militaria adparamenta deserendi & per montes dispersim vagandi.

Sua Maj. Imperator cum militia prætoria Burgi moratur, Gen. Dux Milhaud cum suo Dimachorum agmine Palanciam proficiscitur. Gen. Dux Lasalle Lermam in deditionem accepit.

Hac ratione uno ictu exercitus Gallæciæ & Estramaduræ cæsus, dispersus & partim deletus, neque omnia adhuc agmina reversa sunt, 3 quartæ Equitatus, dimidiumque pene peditatus adhuc restant.

In exercitu tumultuantium contradictoria summa animadvertebantur; in veste officialium Elenchi Cohortium a Bruto & populo nominatarum. Erant Cohortes studentium in Uni-

versitatibus, aliæ nomen ab Sanctis eratque agricolarum insurgens turba. Anglia serit Anarchiam & perturbationem in Hispania, quid vero metet? odium prælaræ, culturæ & reorganisatæ gentis. Cæterum; ubivis advertebatur disconvenientia Insurgentium. In vexillis a nobis occupatis aliqua Cæsaream aquilam a leone hispanico dilaniatam exhibent; & qui id genus allusiones audent? milites quos Europa censet deterrimi.

Equitatus exercitus Estremaduræ cæsus ad primum conspectum. Ex momento illo, quo decimam venatorum legionem equis insidentem conspicatus, arripuit fugam, nec deinceps adparuit.

Imperator agmen Ducis Dalmatiæ Burgis discedens lustrabat, ad exercitus Gallæciani dorsum impetendum. Sua Majestas promotiones præmiæque distribuit, Agmineque contentus fuit, victoribus ad Medinam & Rivum siccum, Burgosque Mareschallo Duci Istriæ & Gen. Ducibus Merle & Mouton facta probari a se declarabat.

Accedit his Gallicum observatorium exercitum in Catalonia offensivum attingisse, Aragoniamque versus processisse ad se lævo cornu magni exercitus conjungendum.

Interea die 27. Jan. nuncium de rupta Angliam inter & Daniam amicitia Calcutam Ind. orient. adpulit. Eodem die Anglicanum Copiarum agmen movit ad Factoratum Serampore occupandum, quod e vestigio effectui gatum.

## BIOGRAPHIA.

Ludovicus Bavarus Imperator Romanorum Anno 1287 natus, & 13. Oct. 1313 communi sub Jubilo populi Rom. Imperator electus; die 26. Nov. diademate ferreo Longobardico Mediolani, denique 1328. Romæ coronatus. Occasione venatus prope monasterium Fūtenfeld die 11. Oct. 1347. ætatis 64 gloriose actæ obiit. Pollebat firmo animi characterē, continuo cum Curia Romana in contentione, quod illa ætate nulli principum impune licuit, adversus 3 Pontifices dignitatem & Independentiam Electionemque suam tuitus est.

*Carolus Philipp. Theodorus* Palatinus Bavaricæ natus 11. Dec. 1724. filius erat Palatini Comitis Joannis Christiani Sulzbachensis, cui etiam 1733 in Principatu successit. Sub suo regimine duplicem fortunatum casum expertus. Ultimo die 1742 decessit postremus Elector Neoburgica ex linea, quo factum ut non modo hunc Principatum Jure hæreditario consecutus, sed & Palatinatum, dignitatem Palatini sedemque Manhemium transtulit. Penultimo An. 1777 die obiit ultimus Elector Bavaricæ Maximilianus Josephus. Carolus Theodor. mox post obitum ejus Bavaricas Ditiones occupavit, factus Elector Palatinatus Rheni sedemque Manhemio Monachiuum transtulit. Animi Characterē miti, sociali, vivaci pollebat, nequaquam diffidentis & suspicantis, imperiosus minime aut in violentiam pronus. Loquebatur prompte latinam, græcam & Anglicanum.

In diversis scientiis versatus præprimis mathematicis dicitur, at artibus præcipue deditus erat, devotus. Ejus Orchestra Dramatique musica cum Musica Neapoli & Turini Europæ excellentissimaerant. Nobilissimæ Collectiones Imaginum æri incisarum aliarum que tantatum æteraa amoris ejus in musas monumenta sunt. Apoplectico icu 12. Febr. 1799 tactus 9 hora, 16. ejusdem 3 pomeridiana spiritum edidit.

*In hac Typographia prostant venales:*

**Rögyéshi**, Doctrina Religionis, R. Catholicae, Pars I. de septem novae Legis Sacramentis, de Purgatorio, & Indulgentiis. 1805. 8. 54 xr. Pars II. de Virtutibus Theolog. Fide, Spe, & Charitate, Religione Revelata, ac aliis Fidei orthodoxae dogmatibus. 7806. 8. 1 fl.

**Ars longævae**, hilarisque vitæ 1805. 8. 1 fl.

**Fedor**, és Mária, vagy a' hóltig-tartó ritka hűség, és a' nagyra vágyásból származott gyászos, de méltó szerentséltenség tüköre. N. V. Ajtay Samuel által. 1807. 8. 1 fl. 12 xr.

**P. Basilii Alexovics** Sermones Sacri, festivales & Dominicales, V. Tomi 8. maj. 8 fl. quivis Tomus separatim a 2 fl.

**Hertzeg Piripionak** tündér története irta Wieland után Magyar Földjeinek mulattatására Fellegváry Agoston. 8. 1804. 36 xr.

**Wieland**, Teli Regi. 8. Posonyban, 1804. 20 xr.

**Theophron**, vagy a' tapasztalt Tanátsadó a' tapasztalatlan Ifjúság hasznára. 1804. in 8. 1 fl. 45 xr. Posta papirosra 13. fl.